

tem, aut convincendus erat apud Judicem, qui neutrarum esset partium. Nam quod distinguit salvos conductus, & aliquem salutem dari asserit contra vim injustam, salvam semper justitiam, valet quidem in eo casu, ubi futurum aliquod intercedit delictum, hic tamen absurdum est: etenim quid opus foret salvo conductu contra vim injustam? cum Magistratus vel sine eo teneatur defendere quemcunque, imò interdum prestare non possit securitatem adversus vim injustam, quod apparet in iis casibus, ubi privata defensio est licita. Imò si ad vim injustam spectat incarceration, jam facta erat Hussio injuria. Deinde salva est justitia, si expressè constet de delicto: jam autem, ut supra dictum, de eo Patres Concilii judicare non poterant. Neque stringit, quod affertur ulterius, prohibitum fuisse Hussio sub pena capitis, ne discederet, illum tamen fugam sibi consuluisse, atque a deo novum incurrisse crimen. Nam contra salvum conductum erat, tale edictum promulgare; ergo improbari non poterat miser ille, si aliter sua consuleret securitati. Sed de Concilio satis. Delicatiùs procedebant Jesuitæ Dillingenses, qui fervente Germanico bello sic publicè statuebant, Hereticis & fidem, & speciatim Germanis Pacem religiosam esse servandam, sed servantibus: abiisse verò Protestantes multum ab eâ pace, & imprimis lesisse articulum dictum den Geistlichen Vorbehalt / ubi Rex Ferdinandus I. ex plenitudine potestatis à fratre Carolo V. sibi concessa statuerat, bonorum Ecclesiasticorum possessores, si ad Lutheranam abirent religionem, ea statim debere resignare ac relinquere Catholico: nimirum multa Catholicorum bona ab eo tempore cessisse Lutheranis, ut ista fides ulterius servari non posset. Quare etiam Ferdinandus II. edicto suo anno 1629. talia comprobabat, & omnia cum fructibus perceptis & percipiendis restitui jubebat, quæcunque pertinerent ad Catholicos. Sed debebant considerare Catholici, plenitudinem potestatis Imperatorie non esse efficacem in negotio religionis, & protestatos esse Principes Lutheranos contra hunc articulum tantum non in omnibus Comitibus. Interim ad incertam redacta videbatur res Lutheranorum, suasque victorias jactabat sacer Machiavellus. Cum Deus, Deus enim fecit, ex improvviso excitaret GUSTAVUM ADOLPHUM Sveciæ Regem, Heroem Pium, Constantem, Felicem, qui quassatæ jam Religioni dignas ferret suppetias: ei que adjungeret JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniam Electorem, virtutum Saxo-